

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Contemplatio t  
cum fonte primo

Tria sunt que oculum intelligencie confundunt  
atque a contemplatione ueri luminis excludunt,  
scilicet tenebre peccatorum,  
recordatio eorumdem peccatorum,  
et cura terrenorum actuum.

Contra triplicem morbum triplex remedium est.  
Nam primus eicitur per confessionem,  
secundus per orationem, tertius per quietem.

Bernardus de consideratione ad Eugenium.

Haec igitur  
tria sunt quae oculum intelligentiae confundunt  
atque a contemplatione veri luminis excludunt:  
tenebrae scilicet peccatorum,  
recordatio eorumdem peccatorum,  
cura terrenorum actuum.

Primo illo morbo turbatum se plangebat Propheta,  
cum diceret: DERELIQUIT ME VIRTUS MEA,  
ET LUMEN OCULORUM MEORUM,  
ET IPSUM NON EST MECUM.

Cum enim luce iustitiae destituimur,  
nil aliud quam peccatorum nostrorum tenebras invenimus.

Item secundo se gravari sentiebat, quando dicebat:

CONVERSUS SUM IN AERUMNA MEA,  
DUM CONFIGITUR SPINA, peccatorum scilicet recordatio.

Tertio occupari se conqueritur, cum ait:

QUIA CINEREM TAMQUAM PANEM MANDUCABAM:  
cinerem scilicet actionis pro pane contemplationis.

Quicumque ergo mentis oculum divinae contemplationi  
vult intendere, profecto necesse est  
ut eum prius ab hoc triplici impedimento studeat purgare.

Quod si quis facere contendat, noverit  
contra triplicem morbum triplex quoque fore remedium.

Nam primus quidem per confessionem,  
secundus per orationem, tertius curatur per quietem.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in assumptione*  
*beatae Mariae uirginis*, 5.8 (SBO 5, J. Leclercq,  
C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.256, ll.16-29).